

/ Serenissime, et Potentissime Caesar Auguste Domine  
clementissime.

Accepi literas Majestatis Vestrae Caesareae per nobilissimum Comitem de Colalto: quibus mihi mandare dignatur, ut quoad possum, ad-  
5 iuvem negocia eius; quae cum sanctissimo Pontifice tractanda suscepit. Ego vero gratias in primis ago Majestati Vestrae Caesareae, quod mihi occasionem praebeat inserviendi Domino meo, vel certe voluntatem ad omne obsequium paratissimam demonstrandi. Deinde polliceor me facturum quicquid potero, ut Maiestas Vestra Caesarea non  
10 fraudetur desiderio suo. Sed quoniam nos in eiusmodi rebus consilium dare, hortari, et rogare possumus, praeterea nihil: Idcirco si res forte non succedat ad votum, accipiet Maiestas Vestra Caesarea a servis suis studium bonae voluntatis, et optimi animi significationem. His precor a Deo Maiestati Vestrae Caesareae Imperium diu-  
15 turnum, et felix.

Datum Romae die 29. Octobris 1613.

Sacrae Caesareae Maiestatis Vestrae

devotissimus servitor

Robertus Cardinalis Bellarminus.